I. Viæ *Cometarum*, ſecundùm hypotheſin quæ ſtatuit illos curſu ſuo Parabolam circa Solem deſcribere, per *Nicolaum Struijck*, R. S. *Lond. S.*

Preſt. April 6. 1749. INdagationem curſus cometarum ex præcipuis aſtronomiæ ſublimioris partibus eſſe, nemo hodie aſtronomorum in dubium vocaverit: poſtquam vir ſummus *Iſaacus Newtonus* ante annos LXIII in lucem edidiſſet celebratum problema de via cometarum per tres obſervationes accuratas invenienda ex hypotheſi, illos curſu ſuo parabolam circa ſolem deſcribere, hac methodo uſus *E. Hallejus* vias XXIV cometarum per calculum determinavit in tabella, quæ reperitur in *Tranſactionibus Philoſophicis* N. 297. p. 1886. et in *Actis Eruditorum* anni 1707. p. 216. Revera autem ſunt XXI cometæ diverſi. Quanto labore id conſtiterit, docent ipſa *Halleji* verba, qui " undique enim, inquit, conquiſitis co-" metarum obſervationibus tabellam, immenſi pene " calculi fructum obtinui." Non opus eſt ut demonſtrem, quam neceſſaria ſit iſta tabella ſeculis ventu ris; ſufficiat teſtimonium autoris modo citati; " Huic tabulæ adornandæ nullis peperci laboribus, ut " perfecta prodiret; utpote poſteritati conſecrata; ac " cum ſcientia aſtronomica duratura."

Tanti viri veſtigio inſecutus eadem methodo alios XVIII cometas, qui in illa tabula non reperiuntur, undique conquiſitos annotavi, eo conſilio ut tandem ſingulorum tempus periodicum inveniri poſſet. Ne vero iſtæ obſervationes de viis cometarum caſu aliquo

perirent, illas nunc in publicam lucem emittere decrevi, ſimul officii mei eſſe ratus indicare quinam illas calculo arithmetico accommodaverint. Via cometarum anno 1723, et 1737, per calculum determinata eſt a *J. Bradley.* via cometarum 1744, a *J. Bets.* via cometarum 1699, 1702, et 1739, ab *Abbate de la Caille.* via ſecundi cometæ 1793, a D. *Klinkenberg*; via ſecundi Cometæ anno 1796, a *des Chezeaux*; primi Cometæ anni 1798, a *Maraldi.* Cumque ipſe tempore excluderer, obſervationes Cometarum conſpectorum annis 1533, 1678, 1718, et 1729, cum *C. Downes* calculo ſubjiciendas communicavi. Cometas vero ann. 1706, 1707, 1742, primum anni 1743, et ſecundi anni 1748, ipſemet ad calculum revocavi: quin etiam haud variis rationibus ductus, exiſtimo, ejuſdem anni 1748, menſe *Maio*, et hic *Amſtelodami*, et aliis *Europæ* locis, ſimul et eadem nocte tres cometas conſpici potuiſſe; cujus rei in hiſtoriis nullum aliud indubitatum exemplum extat. Addidi etiam Cometam exitu anni 1680, et initio anni 1681 conſpectum; quia in poſtrema *Iſ. Newtoni* editione emendationes leguntur, per quas ellipſis, quam circa ſolem movendo deſcripſit, determinatur.

Nunc etiam indicandum eſſet, quantum theoria ſingulorum Cometarum ab obſervationibus differat; ſed brevitati ſtudens hanc tractationem alii ſcripto, cujus editionem paro, ſervare malui, illud unice monens; ex XXXI obſervationibus, quas habeo, Cometæ ann. 1742, conſpecti, eſſe XXII quarum longitudines vix unico minuto inter ſe differunt, et XXIII, quarum latitudines ne minuto quidem differunt.

Sequuntur viæ XIX Cometarum, quorum ſupra facta eſt mentio.

Tempus

Tempus Æquationis Perihelii Londini.						Nodus Aſcenſ.			Inclinatio Orbitæ.			Perihelion in Orbe.			Diſ. Perih a Sole.	Motus
An.		d	h	′	″	°	′	″	°	′	″	°	′	′	Part.	
1533	Junii	16	19	30	0	☊ 5	44	0	35	49	0	☊ 27	16	0	20280	Retro.
1678	Auguſti	16	14	3	0	♍ 11	40	0	3	4	20	♒ 27	46	0	123802	Dir.
1699	Januarii	2	8	22	19	♒ 21	45	35	69	20	0	♏ 2	31	6	74400	Retro.
1702	Martii	2	14	12	19	♊ 9	25	15	4	30	0	☊ 18	41	3	64590	Dir.
1706	Januarii	19	4	56	0	♈ 13	11	23	55	14	5	♊ 12	36	25	42686½	Dir.
1707	Nov.	30	23	43	6	♉ 22	50	29	88	37	40	♊ 19	58	9	85904	Dir.
1718	Januarii	4	1	14	55	♋ 7	55	20	31	12	53	☊ 1	26	36	102565	Retro.
1723	Sept.	16	16	10	0	♈ 14	14	16	49	59	0	♉ 12	15	20	96942	Retro.
1729	Junii	12	6	35	91	♒ 10	35	15	77	1	58	♒ 22	16	53	906980	Dir.
1727	Januarii	19	8	20	0	♏ 16	22	0	18	20	45	♒ 25	55	0	22282½	Dir.
1739	Junii	6	9	59	49	♈ 27	15	14	55	42	44	♑ 12	38	40	67358	Retro.
1742	Januarii	28	4	20	50	♊ 5	34	45	67	4	11	♏ 7	33	44	76555½	Retro.
1742	Decemb.	30	21	15	16	♊ 8	10	48	2	15	50	♑ 2	58	4	83811½	Dir.
1743	Septemb.	9	21	16	18	♈ 5	16	25	45	48	21	♐ 6	33	52	52157	Retro.
1744	Februarii	19	8	27	0	♉ 15	45	20	47	8	36	♐ 17	12	55	22206 1/10	Dir.
1747	Februarii	17	11	44	38	☊ 26	58	27	77	56	55	♍ 10	5	41	229388	Retro.
1748	Aprilis	17	19	25	4	♏ 22	52	16	85	26	57	♏ 5	0	50	84066⅔	Retro.
1748	Junii	7	1	24	15	♉ 4	39	43	56	59	3	♍ 6	9	24	655252	Dir.
1680	Decemb.	7	23	9	0	♍ 2	2	0	61	6	48	♐ 22	44	25	617	Dir.

Diſtantiæ autem Perihelia æſtimantur in ejuſmodi partibus, quales mediæ diſtantiæ terræ a ſole habet centies millenas.

II. Epiſtola à *Joh. Jacobo Hubero* M. D. ad *Cromwell Mortimerum* R. S. Secret. de *Cadavere aperto*, in quo non extitit *Veſica fellea*; et de *Sterno gibboſo*.

Read April 6 1749.

NON ſine aliquo literario munuſculo ad te celeberr. *Mortimere*, adire fas eſt, virum humaniſſimum quidem, ſed eundem etiam talium rerum avidiſſimum, quibus a iqua pars illius cognitionis contineatur, in qua augenda et publicanda illuſtriſſima Societas, cujus tibi acta commiſſa ſunt, elaborare ſolet. Supereſt, ut hic aliquid invenias ab illo inſtituto non abhorrens. Volui certe aliquem tibi guſtum quaſi dare, quid, præter ſcopum primarium, fabricam corporis humani docendam Medicinæ, Chirurgiæ præſertim ſtudioſos, ſpectare in quotidianis cadaverum humanorum ſectionibus, in *Theatro Collegii* apud nos *Carolini* inſtitutis, conſueverim, et cujus generis obſervationes expectari porro, ut in rebus humanis, a me poſſint.

Obſervationes autem e pluribus duas hic ſpeciminis et guſtus cauſa breviter deſcribam, unam quæ vitiatam, eoque ipſo ſingularem ſiſtit partis corporis humani ſtructuram, ſimulque uſum arti ſalutari præſtare nonnullum videtur; alteram, quæ œconomiæ corporis noſtri ſingularem præbet mechaniſmum, quo etiam phyſiologorum diſcrepantes de bile cyſtica ſententiæ